

# CASUS DE SATISFACTIONE

## SEU

*De impositione, obligatione, mutatione, et adimpletione pœnitentiæ sacramentalis.*

### CASUS I.

#### IMPOSITIO PœNITENTIÆ 1°.

PHILOMETOR, neo-Confessarius, semper anxius est pœnitentias sacramentales imponendo, timens ne peccatorum gravitati non sint proportionatæ, prout a *Conc. Trid.* requiritur. Illi adstat TITUS, consuetudinarius, a tribus mensibus non confessus, cui viginti jejunia injunguntur faciendâ, scilicet, jejunium unum pro singulis peccatis mortalibus. Accedit BERTA, materfamilias, quæ jubetur ter jejunare in pane et aqua pro triplici adulterio. Sed cum domi pœnitentiam peragit, indignabundus ejus maritus exclamat: « Ergo maxima commisisti peccata, cum tanta tibi fuerit pœnitentia imposita? » Accedit etiam PHOTINUS, juvenis, consuetudine blasphemandi et turpia proferendi obstrictus. Huic præscribitur ut ter singulis diebus per mensem lingua crucem in terra efformet, et etiam in posterum, quoties similia proferet, toties id faciat.

HINC :

- QUÆR. 1° *An semper imponenda sit pœnitentia in confessione?*  
2° *Qualis imponenda sit, sive pro levibus, sive pro gravibus peccatis?*  
3° *Quid de ratione agendi PHILOMETORIS in variis casibus?*  
4° *Quid de Confessariis qui operum species multiplicant, aut ad longissimum tempus, etiam ad vitam, pœnitentias imponunt?*

SOLUTIO :

502. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Pœnitentia in omni casu a Confessario imponenda est, nisi a penitente nulla impleri possit. Ratio est, quia Confessarius, ut minister Sacramenti Pœnitentiæ, ejus integritatem, licet accidentalem, in quantum fieri potest, procurare debet. Constat ex *Conc. Trid. sess. 14, c. 8.* Ad hoc autem tenetur Confessarius *sub gravi*, si pro mortalibus injungenda sit; *probabiliter vero sub levi*, si pro venialibus præscribi debeat. *S. Lig. n. 508, et Hom. apost. n. 47. — V. Comp. n. 522.*

503. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Nulla regula præcisa determinari potest. Ex *Conc. Trid.* Confessarius imponere debet pœnitentias *convenientes et salutare*, tum *vindicativas*, tum *medicinales*, aliquo modo numero et gravitati peccatorum proportionatas. Sed pœnitentia pro peccatis mortalibus gravis in se esse debet, seu talis ut opus injunctum reputetur obligans sub gravi, si ab Ecclesia præcipiatur. Hinc Missa audienda, ut materia gravis habenda est. *V. Comp. n. 521 et 524.*

504. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* PHILOMETOR incassum proportionem mathematicam inter pœnitentias imponendas statuere satagit; hæc enim a *Conc. Trid.* non requiritur, et prorsus impossibilis est. Debet enim ex eodem Concilio attendi ad *vires pœnitentis*; porro plerumque ii qui plus peccaverunt, generatim aliis debiliores sunt. Quod si pœnitentia aliquatenus peccatis proportionata ipsis præscribatur, eam omnino vel ex magna parte omittent. Quid autem proderit? Imprudenter præsertim PHILOMETOR injunxit BERTÆ, conjugatæ et matrifamilias, ut pœnitentiam in media familia publicam perageret. Imprudentius adhuc injunxit PHOTINO, ut terram lingua toties cruce signaret; hæc enim et alia similia plerumque prætermittuntur, et pœnitentes a Sacramentis avertunt. Quid igitur proderit?

505. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* Carpendi sunt, quia jugum intolerabile pœnitentibus imponunt. et causa sunt cur pœnitentiæ e memoria excidant, et plerumque omittantur. Quid facerent fideles, si, quoties confitentur, pœnitentia in totam vitam vel ad longum tempus imponeretur? Quot opera satisfactoria, decursu temporis, simul adimplenda forent! Quid igitur dicendum de illis Confessariis? Similes pœnitentiæ ipsismet Confessariis imponendæ forent.

### CASUS II.

#### IMPOSITIO PœNITENTIÆ 2°.

HOMOBONUS, benignioris ethices Confessarius, sic in praxi peragit: 1° aliquando nullas injungit pœnitentias pro peccatis venialibus, vel etiam pro mortalibus, si pœnitentes valde contritos reperiat; 2° levia opera injungit peragenda juvenibus, vel divitibus, licet mortalibus noxis et quidem bene multis graventur, ne a confessione deterreantur.

HINC :

- QUÆR. 1° *An vel quomodo peccet HOMOBONUS, omittendo pœnitentiam injungere in prædictis casibus?*  
2° *An graviter peccet præscribendo tantum opera levia pœnitentibus, peccatis gravibus inquinatis?*

SOLUTIO :

506. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* HOMOBONUS peccat, saltem venialiter, si, seclusa justa causa, nullam imponat pœnitentiam pro venialibus; et mortaliter, si de mortalibus agatur, ut dictum est in casu præcedente. Ratio



autem excusans est impotentia pœnitentis, nempe moribundi jam sensibus destituti. Alii infirmi aliquam pœnitentiam, saltem levissimam, adimplere possunt, v. g. deosculari Crucifixum, pronuntiare nomina sanctissima Jesu et Mariæ... etc. Plures Theologi, cum *Busemb.*, dicunt Confessarium excusari ab imponenda pœnitentia, si pœnitens sit vehementissime contritus. Sed merito illud rejicitur a *S. Lig. n. 507*, quia non satis constare potest de tanta contritione, quæ omnem peccati pœnam diluat. Esset tamen ratio congrua satisfactionem multo leviolem imponendi.

507. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Affirm. per se*, seu, si nulla sit ratio excusans, ut infirmitas corporis vel mentis, aut timor fundatus ne pœnitens operi injuncto non satisfaciatur, etc. Ratio est, quia, ex præcepto *Conc. Trid.*, Confessarii imponere debent pœnitentias *convenientes et aliquo modo proportionatas* pro delictis gravibus, ne forte conniveant et fiant alienorum peccatorum participes. Secus vero dicendum, quoties adsunt rationes justæ levem pœnitentiam pro gravibus peccatis imponendi. *V. Comp. n. 524.*

Generatim, cum adest ratio leviolem pœnitentiam pro peccatis lethali-  
libus imponendi, curandum est ut ejus materia sit *in se* saltem aliqua-  
tenus *gravis*, id est ut sit talis quæ pro uno peccato mortali plurimum  
injungatur, ut esset recitatio coronæ B. V., seu tertia pars Rosarii semel,  
vel quinquies *Pater et Ave* per hebdomadam, etc.

508. — Referre juvat verba *S. Antonii* a *S. Lig.* relata et approbata,  
n<sup>o</sup> 510: « Est sat rationabilis causa non dandi pœnitentias proportionatas,  
« ipsa indispositio pœnitentium, quia aliquando non sufficeret tempus  
« vitæ; nam debet Confessor dare talem pœnitentiam, quam credat ve-  
« risimiliter illum adimplere, ne ipsam violando deterius contingat; quod  
« si magna peccata commisit, et dicit se pœnitere, sed non posse aliquam  
« duram pœnitentiam agere, animet eum Confessor, ostendendo ei gra-  
« vitatem peccatorum et per consequens pœnarum, et sic tandem injun-  
« gat pœnitentiam quam libenter suscipiat; et, si Sacerdos non potest  
« gaudere de omnimoda ejus purgatione, saltem gaudeat quod liberatum  
« a *gehenna* transmittit ad *purgatorium*. Inde Confessor non debet ullo  
« modo permittere, peccatorem desperatum recedere a se; sed potius  
« imponat ei *unum Pater noster*, vel *aliud quid leve*, et alia bona quæ  
« fecerit et mala quæ toleraverit sint ei in pœnitentiam, concordante  
« *S. Thoma*. Hoc sane intellige, videlicet, quia, si alias ipsum pœnitet  
« et paratum se dicit facere quod debet, sed onus pœnitentiæ dicit non  
« posse sufficere, tunc propter hoc, quantumcumque deliquerit, non  
« debet dimitti absque absolutione, ne desperet. »

Cæterum, ait *S. LIGORIUS*, hic animadvertendum puto quod extra  
casum gravissimæ infirmitatis, aut vehementissimæ contritionis, non bene  
ageret Confessarius, si pro culpis mortalibus injungeret pœnitentiam quæ  
levem afferret obligationem; licet enim, si expedierit, imponi possit opus  
quod relative ad peccata sit leve, tamen regulariter semper injungenda  
est aliqua pœnitentia gravis, quæ gravem inducat obligationem. *S. Lig. n. 510.*

## CASUS III.

IMPOSITIO PŒNITENTIÆ 3<sup>o</sup>.

THEOPHILUS, Confessarius: 1<sup>o</sup> graves quidem imponit pœnitentias pro  
gravibus peccatis, sed sub levi tantum, ne pœnitentes graviter peccent,  
eas omittendo; 2<sup>o</sup> sæpe non alia præscribit opera, nisi ea quæ jam sunt  
aliunde ex præcepto Ecclesiæ peragenda, ut est, v. g. auditio Missæ die  
festo; 3<sup>o</sup> pœnitentiam, impertita tantum absolutione, injungere solet:  
quod si prima vice pœnitentem non absolvat, nullam ei pœnitentiam præ-  
scribit faciendam.

HINC:

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An possit Confessarius imponere pœnitentiam gravem qui-  
dem pro culpis gravibus, sed sub levi tantum obligantem?*  
2<sup>o</sup> *An imponi possit opus jam aliunde debitum?*  
3<sup>o</sup> *An eadem pœnitentia pro nova absolutione injungi possit?*  
4<sup>o</sup> *Quandonam pœnitentia injungenda sit?*

SOLUTIO:

509. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Affirm. probabilis*, quia quilibet legislator  
potest materiam gravem præcipere sub obligatione levi; Confessarius au-  
tem non tantum fungitur vicibus Christi, sed est vere legislator et iudex  
a Christo constitutus: quare obligationis gravitas non oritur ex vi Sacra-  
menti, sed ex præcepto Confessarii. *S. Lig. n. 518, et alii communis.*  
« Attamen, ait *S. Lig. ibid.*, non probarem, si Confessarius vellet totam  
« pœnitentiam pro peccatis gravibus imponere sub levi, excepto casu  
« gravis ægritudinis, vel intensissimæ contritionis, vel in alio rarissimo  
« casu, in quo videretur omnino expedire ad salutem pœnitentis. Censeo  
« enim, ex præcepto *Trid.*, teneri semper Confessarium injungere aliquod  
« grave opus sub obligatione gravi; præfata igitur sententia inservire  
« potest ad hoc tantum ut Confessarius, imposita aliqua pœnitentia gravi,  
« aliam graviorem injungat sub levi, ita ut, si pœnitens illam negligat,  
« mortalis culpæ reus non fiat. »

510. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Affirm. cum sententia communi. S. Lig. n. 513.*  
Ratio est, quia, cum opus illud sit satisfactorium, bene potest per claves  
ad meritum etiam satisfactionis sacramentalis elevari. Duplex igitur meri-  
tum habebitur in adimplentione illius operis, et duplex quoque peccatum in  
ejus omissione; sicut fit in eo qui voto sese obstrinxit ad audiendam Mis-  
sam die Dominica, ad quam præcepto Ecclesiæ tenebatur. Hoc tamen non  
est faciendum nisi spectata pœnitentis fragilitate, vel ejus magna negli-  
gentia in adimplendo opere præscripto. Censetur autem Confessarius opus  
non aliunde præscriptum imponere semper in pœnitentiam, nisi expresse  
pœnitentem admoneat quod per opus jam aliunde debitum satisfacere pos-  
sit. Hinc, si pro pœnitentia auditio Missæ tibi injuncta fuerit, non satisfacies



Missam semel die Dominica audiendo, nisi id tibi expresse concessum sit. *S. Lig. n. 513.*

511. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Neg.*, quia, licet opus alias præceptum bene posset imponi in pœnitentiam non potest tamen imponi opus jam præceptum eodem titulo satisfactionis. *S. Lig. n. 523, et alii communiter contra La-croix, — Busemb., etc.*

*R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* Pœnitentia, generatim loquendo, imponenda est ante absolutionem, quia sic servatur ordo iudicii qui exigit ut reus spondeat satisfactionem priusquam absolvatur. Si autem Confessarius ex oblivione omiserit pœnitentiam præscribere ante absolutionem illam statim post absolutionem imponat. Non est tamen grave hanc inversionem facere; imo culpa vacat, si præsumatur pœnitentem opus sibi injungendum accepturum esse. *S. Lig. n. 514.* Nulla autem necessario imponenda est pœnitentia, quando absolutio non impertitur, quia nullum est Sacramentum.

Ex dictis satis liquet quid de THEOPHILO, dicendum sit.

## CASUS IV.

## PœNITENTIA MEDICINALIS.

AQUILINUS, Confessarius, satagit ut semper pœnitentibus *medicinales* pœnitentias imponat, ut ipse præscripto *Conc. Trid.* satisfaciat. Quare: 1<sup>o</sup> Occurrit ipsi EUGENIUS juvenis, prava consuetudine peccandi contra castitatem inquinatus, et in eadem peccata a pluribus annis recidivus. Confessarius, in medicinalem pœnitentiam, ipsi matrimonium intra annum ineundum præscribit. — 2<sup>o</sup> Accedit EULALIA, puella ad pietatem valde proclivis, si cum personis devotis versetur, sed valde labilis et infirma, pravo occurrente consortio. Ut ejus saluti æternæ prospiciat AQUILINUS, pro salutari pœnitentia ingressum in Religionem ipsi imponit, et, ut eam firmiori vinculo obstringat, jubet ut statim votum ingrediendi Religionem emittat. 3<sup>o</sup> Accedit VERANUS, vino deditus, et sæpe ebrius. *Contraria contrariis curantur*, ait Confessarius, et ei injungit ut, in posterum sola aqua contentus, a vino penitus absteineat.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An vel quatenus imponendæ sint pœnitentiæ medicinales ad mentem Conc. Trid.?*  
 2<sup>o</sup> *An matrimonium vel ingressus in Religionem in pœnitentiam imponi potuerit?*  
 3<sup>o</sup> *An prudenter imponatur bibulo ut aquam solam bibat?*  
 4<sup>o</sup> *Quid de AQUILINO dicendum?*

SOLUTIO :

512. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Imponendæ sunt pœnitentiæ *medicinales* peccatoribus in quantum *salutares et convenientes* esse possunt pro facultate pœnitentium, juxta verba *Conc. Trid.* Sæpe autem excusantur Confessarii

ab illis injungendis, quia difficile a pœnitentibus acceptarentur, et difficilius adimplerentur; tunc enim non essent salutares, siquidem non prodesse nisi ad peccatores a Sacramentis arcendos: *Nota*, ait *S. Lig. n. 509*, verba *Trid. : pro pœnitentium facultate*, id est utiles ad salutem pœnitentium. Confessarius enim hoc solum ob oculos habere debet, ut pœnitentis saluti consulat; salutares autem non sunt satisfactiones quibus præ gravitate vix pares esse pœnitentes videantur, ita ut in eorum perniciem vertant.

513. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. 1<sup>o</sup> Neg.* quoad matrimonium, quia ex natura sua omnimodam libertatem requirit. *S. Lig. n. 511, et alii communiter contra paucos.*

2<sup>o</sup> Quoad Religionem, *neg.* pariter ob eandem rationem. Ingressus enim in Religionem debet esse omnino liber et voluntarius. Deinde ad Religionem amplectendam vocatio specialis requiritur, nec a Confessario dari potest. *S. Lig. ibid. — S. Thomas, etc.*

514. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Neg.*, saltem generatim loquendo, quia nimium est periculum ne hujusmodi pœnitentia omittatur. Satis igitur sit ut Confessarius bibulum graviter et enixe adhortetur, vel etiam ad tempus aliquo modo ei præcipiat ut saltem vinum non bibat nisi aqua delibutum, sed seclusa pœnitentiæ obligatione.

*R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* Quid igitur de AQUILINO? Majorem discat prudentiam in pœnitentia sacramentali injungenda; ea enim summopere indiget, ne in posterum adeo turpiter erret, cum maximo pœnitentium detrimento.

## CASUS V.

OBLIGATIO PœNITENTIÆ 1<sup>o</sup>.

HECTOR, de implenda sacramentali pœnitentia parum sollicitus, facile prætermittit opera ipsi a Confessario præscripta, sive pro peccatis mortalibus, sive pro venialibus. Alias non omittit quidem sacramentalem pœnitentiam, sed ad tempus notabile ejus adimpletionem protrahit, v. g. ad plures heddomas, vel ad plures menses, vel etiam ad annum. Porro ex illa dilatione sæpe fit ut HECTOR pœnitentiam peragat in statu peccati mortalis, cum non tamdiu in divina gratia perseverare soleat. Quapropter jubetur postea a Confessario pœnitentiam iterare, utpote invalide peractam.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quomodo peccet omittens pœnitentiam pro mortalibus aut venialibus impositam?*  
 2<sup>o</sup> *An graviter peccet omittens pœnitentiam quidem gravem, sed injunctam pro peccatis venialibus? An vice versa?*  
 3<sup>o</sup> *An, vel quænam dilatio pœnitentiæ sit gravis?*  
 4<sup>o</sup> *An sit valida impletio pœnitentiæ in mortali?*

SOLUTIO :

515. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Pœnitens tenetur sub gravi adimplere pœni-



tentiam pro peccatis mortalibus impositam, quia materia gravis *per se* sub gravi obligat. *Probabiliter* autem sub levi tantum urget pœnitentia pro levis culpæ imposita, quia materia levis non est capax obligationis gravis. *S. Lig. n. 517, cum aliis communius.*

516. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* *Probabilius* non peccat graviter omittens pœnitentiam gravem quidem in se, sed pro venialibus impositam, quia tunc satisfactio necessaria non est in quantum gravis; neque fuit, neque potuit esse intentio Confessarii sub gravi pœnitentem obligandi. 2<sup>o</sup> Neque probabilius obligat sub gravi pœnitentia levis in se, sed pro gravibus injuncta quia materia levis non est capax obligationis gravis. *S. Lig. n. 517, cum aliis.* — Nec obstat quod hæc levis materia locum operis gravis teneat, quia obligatio secundum materiam commensuratur, et magis attenditur ad pœnitentiam in se spectatam, quam ad ejus causam. *Ita communius.* — *S. Lig. n. 521.*

517. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Dilatio pœnitentiæ pro venialibus peccatis imposita nunquam gravis evadere potest, cum ipsa omissio probabilius veniale non excedat.

2<sup>o</sup> Dilatio autem pœnitentiæ pro peccatis mortalibus impositæ, *probabilius*, gravis reputatur, si ad duos vel saltem tres menses protrahatur. Sed de hoc minime consentiunt Theologi. *S. Lig. n. 521*

518. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* *Affirm.* saltem *probabilius*, quia ad satisfaciendum præcepto sufficit opus injunctum ponere, licet finis præcepti non obtineatur. *S. Lig. n. 521.* — An vero peccet, qui implet pœnitentiam in statu peccati? Certum est eum non peccare *mortaliter*. Juxta communio-rem sententiam peccat *venialiter*, quia obicem effectui partiali Sacramenti voluntarie ponit. Plures tamen Theologi *non improbabiliter*, tenent cum *Lugo* illum ab omni culpa eximi, quia nulla est culpa soli pœnarum remissioni obicem ponere. *S. Lig. n. 523.*

## CASUS VI.

OBLIGATIO PŒNITENTIÆ 2<sup>o</sup>.

RUFINA jussa fuerat pro pœnitentia sacramentali Missam audire, et certam eleemosynam pauperibus erogare. Ecce, die sequenti Sacro interfuit, immemor quod ex obligatione pœnitentiæ ei interesse deberet. Illi vero ex Ecclesia exeunti occurrit pauper valde miserabilis, ut adjuvetur supplex postulans. Misericordia mota RUFINA eleemosynam largam ipsi erogavit, etiam quin de pœnitentia cogitaret. Subinde ad hæc animadvertens, dubitat an ad aliam Missam et aliam eleemosynam teneatur. Alias cum pro pœnitentia coronam B. V. recitare deberet, statuit primum eam recitare ex devotione, excludens intentionem satisfaciendi ut eadem iterum recitet ad pœnitentiam implendam. Sed postea secundam hanc recitationem omisit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An satisfaciat, qui ponit opus præscriptum, pœnitentiæ immemor?*

QUÆR. 2<sup>o</sup> *An satisfaciat, qui memor obligationis excludit intentionem satisfaciendi?*

3<sup>o</sup> *Quid de RUFINA tenendum?*

SOLUTIO :

519. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Satisfacit *probabilius*, quia pœnitens, acceptando pœnitentiam, habet animum eam adimplendi : ergo, quoties ponit opus injunctum, illud ponit ex intentione saltem habituali pœnitentiæ satisfaciendi. Quisque enim, in quolibet opere satisfactorio quod ponit, semper intendit operi debito prius satisfacere quam operi supererogatorio. *Ita Lugo, D. 24, n. 43, et alii communius, contra alios* qui dicunt intentionem specialem requiri ad Sacramentum integrandum. *S. Lig. utramque dicit sententiam esse probabilem. Hom. apost. n. 58.*

520. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Non videtur satisfacere, quidquid in contrarium dicant plures. Ratio deducitur ex dictis in responsione ad primum *Quæst.* Etenim satisfacit immemor obligationis, quia censetur habere habitualement intentionem satisfaciendi : ergo, si excludat hanc intentionem, jam non satisfacit, quia non vult satisfacere. Insuper opus satisfactorium, a Confessario impositum, habetur instar debiti. Porro, si quis erogat donum immemor debiti, censetur *probabilius* obligationi justitiæ satisfacisse. Secus vero, si positive voluntatem satisfaciendi excludat. Ergo, a pari, non satisfacit ille qui excludit intentionem adimplendi pœnitentiam.

*Dices* : Satisfacit obligationi Missæ die festo audiendæ, ille qui interest Sacro ex mera devotione, intendens aliud audire ad præceptum implendum, licet postea non audiat : ergo a pari, etc.

*R. Neg. paritatem.* Præceptum enim Missæ imponitur omnibus fidelibus independentem ab eorum voluntate; pœnitentia vero proponitur pœnitenti, et ab eo acceptatur : quare ejus adimpletio, sicut in voto, ab ejus voluntate pendet.

521. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* RUFINA non est inquietanda *in primo casu*, in quo posuit opus pœnitentiæ, immemor obligationis; secus vero *in secundo casu*, in quo non habuit intentionem obligationi suæ satisfaciendi. Sequitur ex dictis.

## CASUS VII.

## MUTATIO PŒNITENTIÆ.

FELICITAS, peracta generali confessione, apud quemdam Missionarium, pro salutari pœnitentia jubetur tria jejunia peragere. Ast, cum Missionarius abiisset, jejunia præscripta facere nequit, obstante infirma, quæ supervenit, valetudine, necnon stricta medici prohibitione. Quid ergo misera! Ad GERARDUM Confessarium tendit, pœnitentiæ mutationem obtinendi gratia : « Nescis quid petas, ait ille. Judicium sacramentale, nisi ab eodem iudice, immutari nequit. » Pergit subinde FELICITAS ad GALDINUM, alium Sacerdotem, qui ait : « Ad nihil teneris, bona mulier; pœnitentia impossibilis, qualis tua est, non obligat. Vade igitur in pace. »



Verum non adhuc ab omni scrupulo solvitur mulier : incidit enim in BASILIUM, qui imperat ut ex integro repetatur generalis confessio, quia, sententia sacramentalis non nisi in Sacramento, sive a proprio, sive ab alio Confessario, immutari potest.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An pœnitentia mutari possit, vel a quonam? An ab ipso pœnitente, si in melius fiat, ut in voto?*

2<sup>o</sup> *An mutanda sit, si ex aliquo impedimento impossibilis evaserit?*

3<sup>o</sup> *An in sola confessione, aut in Sacramento mutanda sit, si casus mutationis occurrat?*

4<sup>o</sup> *An ad hoc repetenda sit præterita confessio, vel sufficiat cognitio status pœnitentis, vel ipsius pœnitentiæ?*

5<sup>o</sup> *Quid de variis Confessariis et eorum sententiis?*

SOLUTIO :

522. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* 1<sup>o</sup> Pœnitentia nunquam ab ipso pœnitente commutari potest, nequidem in melius, quia pœnitentiæ obligatio non oritur ab ipso pœnitente, ut in voto; et insuper, opus aliquod nequit ad satisfactionis sacramentalis meritum elevari nisi a Ministro ipso pœnitentiæ impositum fuerit. 2<sup>o</sup> Commutari vero potest a proprio Confessario, quia legislator potest propriam legem mutare. 3<sup>o</sup> Potest etiam mutari ab alio Confessario, quia alius etiam potest esse ejusdem causæ judex, si pœnitens ipsius tribunali se submittat. Excipe, nisi pœnitentia pro casibus reservatis imposita sit, quia inferior sententiam Superioris mutare nequit, si hic facile adiri possit. Sed in omni casu justa causa ad pœnitentiæ mutationem requiritur.

523. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Neg.* cum sententia communi et probabiliori. Ratio est : quia pœnitens non amplius tenetur ad executionem pœnitentiæ quæ impossibilis facta est. *S. Lig. n. 520, — Lugo, — Lacroix, et alii innumeri contra Bonacina, etc.*

524. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Non potest mutari pœnitentia, nisi in confessione, si commutatio ab alio Confessario fieri debeat; quia alius Confessarius nullam potestatem habere potest, nisi in confessione sacramentali, juxta omnes. Imo idem etiam videtur tenendum, licet commutatio ab eodem Confessario fiat, qui extra confessionem non est judex circa id quod ad integritatem Sacramenti spectat. *Ita communius et verius, ait S. Lig. n. 529.* Attamen Confessarius potest hanc commutationem facere post absolutionem, quia præcedens Confessarii judicium adhuc moraliter perseverat. Non requiritur autem ut pœnitentia commutetur in ipso Sacramento, seu ut pœnitens in hac confessione absolvatur; quia confessio est vere sacramentalis, etiam deficiente Sacramento, dummodo fiat in ordine ad Sacramentum, alias vel mox recipiendum, si Confessarius id opportunum judicaverit.

525. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quærs.* Si pœnitens adeat eundem Confessarium, non

erit necessarium confessionem repetere, dummodo Confessarius recorderetur adhuc *in confuso* status conscientiæ pœnitentis. Si vero alium adeat, vel eundem non amplius peccatorum memorem, sufficit ut summatim confiteatur, ita ut Confessarius confusam illius status notitiam acquirat.

Dixi : *Sufficit cognitio confusa status pœnitentis; an vero requiratur illa confusa cognitio ad pœnitentiam commutandam, controvertitur.* Affirmant probabiliter *Lacroix, Elbel, etc.*, quia Confessarius nequit pœnitentiam commutare, nisi in judicio sacramentali, quod absque illa notitia exerceri nequit. Negant autem alii etiam probabiliter cum *S. Lig., etc.*, quia non agitur de judicio circa peccata ferendo, sed tantum de pœnitentia mutanda, ad quod sufficit prioris pœnitentiæ cognitio, ut alia circiter æquivalens imponatur. *V. Comp. n. 532.*

526. — *R. ad 5<sup>m</sup> Quærs.* 1<sup>o</sup> GERARDUS falso asseruit pœnitentiam commutari non posse, nisi a Confessario a quo injuncta est; alius enim Confessarius quilibet in foro sacramentali constitutus, et priori succedens relative ad eundem pœnitentem, eadem ac ille gaudet potestate, quia novum judicium ferre potest.

2<sup>o</sup> GALDINUS vero recte judicavit mulierem ab omni obligatione liberandam esse, cum de morali impossibilitate pœnitentiam adimplendi ipsi constiterit. BASILIUS vero sub omni respectu erravit, scilicet, tum quia commutavit pœnitentiam quæ commutatione non indigebat, tum quia mulierem ad confessionem generalem inutiliter adstrinxit, tum etiam quia judicavit commutationem in solo Sacramento fieri posse; sufficit enim ut pœnitens in foro sacramentali constituatur, nec requiritur ut absolutionem recipiat.

## CASUS VIII.

### PŒNITENTIÆ OBLIVIO.

MARTHA, ingratae memoriæ mulier, non raro pœnitentiæ sibi a Confessario injunctæ obliviscitur, ideoque pluribus angitur perplexitatibus. Inter alios casus accipe sequentes :

1<sup>o</sup> Quondam MARTHA, pœnitentiæ sacramentalis immemor, rediit ad Confessarium, qui et ipse, injuncti operis jam non recordans, aliud subrogavit.

2<sup>o</sup> Eodem recurrente oblivionis casu, statuit mulier ad Confessarium iterum recurrere, sed abierat et jam a pœnitente amplius adiri non poterat. Quid igitur faciet misera? Pergit ad alium Sacerdotem, a quo jubetur confessionem repetere, ut nova pœnitentia præscribi valeat.

3<sup>o</sup> Alias MARTHA, tædio et contristatione affecta propter recurrentem adhuc hujusmodi oblivionem, ipsamet sibi opus subrogatorium imponit; et, ad tutius, pœnitentiam in præcedenti confessione sibi injunctam repetit.

4<sup>o</sup> Alias nova contorquetur anxietate; postquam enim a Confessario recessisset, advertit ipsum hac vice oblitum esse pœnitentiam præscribere. Verum, ut ab incommodo illum iterum adeundi liberetur, ipsa aliquod opus adimplendum eligit.